MONOGRAPHIA GENERIS MELOES.

AUCTORIBUS

DR. J. F. BRANDT ET W. F. ERICHSON.

Cum tabula picta.

(*Academiae trad. d. 23. Aug. a. MDCCCXXXI.*)

Meloë *Fabr. Meyer. Latr. Leach. etc.*
Meloës *spec. Lin. Pall. etc.*

Corpus oblongum, molle, colore plerumque obscuro.

Caput collo angusto thoraci insertum, perpendiculare aut inflexum, subhemisphaericum, interdum etiam subcordatum, ore nonnihil producto. Frons linea longitudinali tenui, interdum magis minusve obsoleta, impressa. Clypeus transversus, linea impressa angulata a fronte separatus, apice truncatus, basi corneus, supra punctis profundis setigeris impressus; apice submembranaceus, plerumque testaceus laevis glaber. Labrum plerumque obcordatum, apice nimirum dilatatum, angulis late rotundatis, et inter angulos profundius emarginatum: rarius leviter emarginatum (M. maialis) vel truncatum (M. cancellatus), supra piloso-punctatum, apice ciliatum. Mandibulae corneae, crassiusculae, extus convexae, intus subdentatae, apice saepe bifidae. Maxillae corneae laciniis duabus corneo-coriaceis, interna subquadrata, hirsuto-fimbriata, externa (palpo maxillari interno) biarticulata, articulo primo minuto, secundo intus emarginato, angulo apicis interno acuto, externo rotundato; undique hirsuto-fimbriato. Palpi maxillares quadriarticulati, articulo primo parvo conico, secundo elongato compresso-conico, tertio praecedenti dimidio breviore, basi minus tenui, etiam

compresso-conico, quarto compresso-cylindrico, apice rotundato-truncato. Labium corneo-coriaceum, subobcordatum, basi truncatum, apice levissime emarginato hirsuto, lateribus rotundatis. Palpi labiales breves, crassiusculi, triarticulati, articulo ultimo incrassato subgloboso. Mentum apice truncatum, lateribus antice valde rotundato-ampliatis, dein retractis, basi deflexum. Gula distincta, laevis, apice dilatata. — Oculi parvi, laterales, obliqui, oblongo-ovales. — Antennae prope oculorum marginem interiorem et inferiorem insertae, undecim-articulatae, formae diversae secundum tribus et species (subsetaceae in M. decoro, uralensi; apice subincrassatae in M. laevi, brevicolli; filiformes in M. corallifero; medio incrassatae et in mare angulatae in M. Proscarabaeo etc.): articulo secundo tamen semper reliquis minore, ultimo plerumque oblongo-ovato, apice subacuminato, interdum etiam emarginato, (M. maialis); articulis primis nitidis, punctatis, breviter nigro-pilosis; apicalibus pube minutissima fusca obductis, opacis.

Prothorax, s. thorax sensu stricto, capite plerumque satis angustior, supra planatus, lateribus inflexis. Prosternum antice late emarginatum, medio transversim elevatum, postice bisinuatum, lobo medio inter coxas producto, apice emarginato. Reliquum inter coxas spatium membrana clauditur. Mesothorax: scuto (dorsulo Kirby et Spence) transverso, plerumque sub thorace recondito, scutello nullo; Scapulariis utrinque duplicibus, anterioribus magnis, antice vel coëuntibus vel approximatis, postice mesosternum triangulariter includentibus, posterioribus minutis, parum conspicuis; Mesosterno (Peristhetio Kirby et Spence) transverso, scapulariis triangulariter incluso, marginem anteriorem mesothoracis vix vel omnino non attingente, ante insertionem coxarum truncato-introrsum flexo, inter coxas valde

angustato, tuberculo spiniformi instructo. Metathorax supra brevissimus; Parapleuris sub elytrorum margine inflexo reconditis, angustioribus, subparallelepipedis; Metasterno (Mesosthetio Kirby et Spence) mesosterno multo minus prominente, appresso, antice cum mesosterno arcte coniuncto, basi utrinque pro coxarum mediarum acetabulis emarginato, lateribus dilatato, apice sinuato, medio in acumen interdum emarginatum producto: acumine introrsum reflexo, et in processum longum tenuem, inde a medio bifidum, litterae Y aequantem, pro musculorum insertione prolongato. *)

Elytra abbreviata, mollia, basi alterum altero incumbentia, iam laevum dextro, iam dextrum laevo; apicem versus dehiscentia, apice rotundato, margine laterali inflexo pectoris latera tegente; saepissime coriaceo-rugosa.

Alae omnino nullae.

Pedes magis minusve validi, punctis piligeris impressi, coxis subcylindricis liberis, trochanteribus oblique truncatis, femoribus arcte affixis; his compressis rectis, tibiis subarcuatis praesertim mediis, apice calcaribus duobus armatis, vel omnium simplicibus, vel anteriorum simplicibus, posticorum interno etiam simplici, externo crassiusculo, apice dilatato, oblique truncato. Tarsi anteriores quinque-postici quadriarticulati, articulo primo longiore, reliquis subaequalibus, compressiusculis, subtus densius pilosis, in mare interdum dilatatis subtus luteo-

---

*) Hic processus, a cll. Kirby et Spence Postfurca vocatus, in omnibus observatur coleoptris, sed pro familiis et generibus forma mirifice discrepans. — In Lytta vesicatoria hic articulus itidem ut in Meloë Proscarabaeo etc. constructus est, praeter quod in medio, ubi furca oritur, utrinque patella subcircularis affixa est.

spongiosis. Unguiculi usque ad basin fissi, parte exteriore validiore simplici, i. e. intus non serrato (Tab. VIII. Fig. 8. *b.*); in M. cancellato vero unguiculi non fissi, sed basi dente valido instructi. (Fig. 9. *b.*)

Abdomen elytra plerumque valde superans, praesertim in feminis gravidis, saepe tamen omnino sub elytris reconditum, septem componitur segmentis, subtus omnino corneis, plerumque punctis, pilos retrorsum versos gerentibus, imprimis versus apices impressis, supra plerumque membranaceis, area media cornea instructis. Segmentum ultimum s. anale in omnibus totum corneum.

Omnia corporis segmenta praeter caput et ultimum abdominis, h. e. prothorax, mesothorax, metathorax et abdominis segmenta 1—6, utrinque stigmate instructa sunt; stigmata igitur utrinque novem. E stigmatibus tracheae fasciculiformes oriuntur, et in ramos aequales dissipantur; ramus communicans sat tenuis.

Tubus intestinalis exoritur oesophago brevi, initio tenui, dein sensim ampliato, a ventriculo strictura levi seiuncto, quo proventriculus quasi formatur, intus plicis longitudinalibus sex instructus, et a ventriculo ipso annulo duodecim eminentiarum abbreviatarum, quarum inter plicam quamque bina observantur, separatus. Ventriculus oblongus, amplus, extus fibris circularibus sat conspicuis, intus plicis transversis et villorum vestigiis instructus. Ubi transit in canalem intestinalem, annulus reperitur, eminentiis sex, literae M aequantibus, compositus, pylorum referens; e quaque eminentia fasciculi longitudinales musculares in intestinum transeunt. Canalis intestinalis ventriculo multo tenuior, primo flexura brevi deorsum, mox antrorsum, dein retrorsum vertitur et in intestinum rectum, intus sexplica-

tum transit, a quo levi strictura terminatur. Tubus intestinalis corpore tertia parte longior. Vasa biliaria sex, apice libero coeca, fasciculiformia atque inter se convoluta intestini superiori curvaturae adhaerent, et spatio aequali distantia, supra emarginationem tuberculi M-formis pylorum intrant.

Testiculi subrotundi, albi, utrinque fere in ventri medio siti; vasa deferentia basi tenuia, mox sensim ampliata, retrorsum, dein antrorsum, et mox iterum retrorsum flexa, sese coniungunt: Vas deferens commune tenue flexuosum transit in penem elongatum, subcompressum, apice subsecuriformem, infra bidentatum, a vagina conica, apice bidentata, infra fissa amplexum; quae vagina basi cum squamula clypeiformi, marginibus inflexa, nigra nitida articulatim coniuncta est. Ubi vero vasa deferentia utriusque testis conveniunt, ostium faciunt utrinque intestinula coeca tria, quorum externum longissimum, medium longius, interius et superius breve, clavatum, curvatum conspicitur.

Ovaria oblongo-ovata, intus cava, membranacea, tenuia, extus omnino fere ovulis croceis, in processibus albidis coecis, apice caudatis contentis obtecta; intus sub quovis processu foramen observatur, ad emittendum ovulum. Ductus deferentes ovariorum desinunt in ductum communem brevem (vaginam), in quam vesiculae tres ostium faciunt, quarum maxima medio constricta, eiusque ductus deferens excipit ductum vesiculae minutae, subrotundo-pyriformis, et in medium vaginae immittitur. Infra in ostio hoc sese immergit ductus vesiculae tertiae elongatae. Omnes hae vesiculae continent liquorem album tenacem.

Systema nervorum ventralium octo componitur gangliis, quorum posteriores septem ramulos emittunt ad organa thoracis

et abdominis; postremum omnium maximum fasciculatim dissipatur, atque genitalibus, intestino et corporis apici nervos suppeditat. Ganglium anticum quatuor emittit ramos minores ad oris partes inferiores, et duos laterales maiores oesophagum amplectentes et cum cerebro sese coniungentes. E cerebri lateribus exoriuntur nervi optici incrassati, et antice ramulus utrinque ad antennam vergens et prope hunc ramulus cum ganglio nervorum systematis imparis intestinalium frontali connexus, ramulumque ad instrumenta cibaria superiora emittens.

Systema nervorum intestinalium duplex: par, s. laterale, et impar s. intermedium. Pars intermedia in capite incipit ganglio frontali triangulari, ante cerebrum sito, quocum ramulo supra memorato communicat. Antrorsum ganglion frontale ramulos emittit ad oris partes, retrorsum nervum simplicem, sub cerebro supra oesophagum in ventriculo situm, ramulos emittentem et in ventriculo antico in nodulum triangularem incrassatum, e quo ramuli utrinque evadunt. — Pars lateralis incipit duobus nodulis, utrinque prope oesophagum sitis, quorum anterior maior, antrorsum et sursum nervum ramo transversali cum nervo impari coniunctum, duos nervos laterales posterioremque singulum emittit, quo se cum nodulo posteriore minore coniungit, qui ramulis tenerrimis in ventriculi superficiem posteriorem et lateralem transit.

Per totum fere orbem Meloës genus dispersum reperitur; ex Australasia modo, Asiaque meridionali et Africa media nullum vidimus specimen. Species nonnullae patriam amplissimam, e. g. non modo Europam totam, sed etiam magnam Asiae partem habitant, aliae contra non transeunt limites arctiores.

Meloae plerumque frequenter occurrunt a primo vere usque ad mediam aestatem in agris, pascuis, collibus et in lucis etiam

minus umbrosis, praecipue tempore matutino et vespertino agiles, per aestum occulti. Quamvis alis destituti et abdominis pondus trahentes graviter incedunt, haud tarde nihilominus in plantas varias, quibus pascuntur, assurgunt, tarsis culmum amplectentes, eique calcaria imprimentes. Tacti antennas pedesque attrahunt et ex omnibus, praesertim pedum, articulationibus limpida promicat liquoris oleiformis flavi, rarius albidi, gutta.

Coiturus in feminae dorsum adscendit mas, corpus eius pedibus anticis amplectens, thoracem mandibulis quasi mordens, antennas antennis suis contrectans, quo evenit, ut qui antennas gerunt medio angulatas, feminam freno quasi tenentes videantur. Pluribus post coitum diebus praeterlapsis, ovula elongato-cylindrica e processibus, quibus tenebantur, evadunt et cavum magnum medium ovarii implent. Tunc temporis femina humum solidiorem effodit, terram pedibus anticis erasam abdomine extrudens, simul corpore torto foveam concinnans, ac saepius proripiens, terram cumulatam, ne relabatur, sternens. Fovea sat profunde eruta prorepit ac statim retrorsum rursus descendit, ut abdomine fundum tangente ovula deponat. Quo per dimidiam fere horam peracto, sensim adscendens terram, qua ova tegat, attrahit et saepius quiescens sensim foveam claudit. Quo facto animalculum debilitatum sese eripit, mox pasci incipit, et post paucos dies moritur.

Diebus circiter 24 praeterlapsis numerosae proveniunt larvae, longitudine fere $1\frac{1}{2}$—$2'''$, valde agiles, nigrae aut ochraceae. Corpus iis elongatum, 13-articulatum, capite triangulari, reliquis 12 segmentis magis rotundatis depressis, anterioribus tribus utrinque par pedum ferentibus et reliquos latitudine superantibus. Segmentum postremum reliquis minus, setas quatuor gerit, intermediis longioribus. Corpus totum fasciculis pilorum subtilibus

tectum. Sub cauda cl. De Geer papillam observavit, liquorem viscosum secernentem. Tarsorum unguiculi validi trifidi. Os larvae componitur labro lato magno, apice pilis compluribus obsesso, labio labro minore, in apicis medio pilos singulos, utrinque vero palpum biarticulatum gerente, cuius articulus superior truncatus, cylindricus, denticulatus est; dein mandibulis unciformibus acutis; maxillis subquadratis, intus ciliatis, extus palpo triarticulato apice truncato instructis. Antennae e longioribus et paucioribus compositae articulis, quam in imagine, articulo ultimo setaceo. — Tubus intestinalis ei imaginis admodum similis, modo magis rectus et ventriculo minus amplo. Systema nervorum, ut in coleoptrorum erucis, pluribus quam in imagine gangliis (tredecim) compositum; cerebrum ceteris gangliis similius; omnino ganglia pro statura larvae permagna.

Exclusae quaerunt larvae insecta Apiaria, iisque se adhaerentes, primum vitae tempus parasitice in animalculis hisce reperiuntur, imprimis in abdominis insertione commorantes, saepe etiam caput inter abdominis segmenta immergentes. Quamquam has larvas pullas auctores veteres iamiam observarunt, tamen huc usque metamorphosin earum, sine dubio sat mirabilem, explorare nemini contigit. Probabiliter in apum nidos feruntur, ibique, ut complurium coleoptrorum larvae, victum reperiunt, quod etiam suspicatur clariss. Latreille (Cuv. règne an. ed. II. Tom. V. p. 66.).

Larva iam ab Entomologis maxime meritis, Réaumur et De Geer observata; nihilo minus cl. Kirby proprii generis ex Apteris parasiticis eam esse professus est, quo nisus cl. Dufour nomen *Triongulinus* ei nuncupavit. (Annal. d. Soc. nat. XIII. 9. B.) cll. Lepelletier et Serville, atque Brandt et Ratzeburg tamen auctorum veterum observationes confirmarunt.

Meloas ipsos ab antiquis auctoribus nomine Buprestidum, quibus pecora, si in gramine occultas eas devorassent, morte afficerentur, memoratos esse, ingenuose opinatur cl. Latreille (Mém du Mus. d'Hist. nat.). In saeculo praeterlapso observationes circa haec animalcula, in usum medicinalem assumta, publicarunt Entomologi, imprimis Réaumur, De Geer, Roesel etc. Linneus cum coleoptris magis minusve vicinibus haec insecta coniunxit in genere *Meloë*, quod postea in genera plura dissolvit Fabricius, his nostris nomen Linneanum retinens: errore tamen Gallerucam quandam his insectis nomine Mel. marginata associavit, qua ab Illigero remota, integrum hucusque remansit hocce genus, ab auctoribus pluribus exornatum observationibus, et a duobus monographis tractatum; altero cl. Meyero (Frid. Alb. Ant. Meyer, Dr., Tentamen Monographiae Meloës. Gotting. 1793); altero cl. Leach (Transact. of the Linn. Soc. Vol. XI. 1818.). Nuperrime quidem cl. Stephens in Catalogo Insectorum Angliae ex Melois antennis medio incrassatis genus constituit *Proscarabaeus*, eodem iure autem species, quas vidimus, viginti quinque in genera tredecim distribuere potuisset.

Nos maluimus divisiones proponere, quae sequuntur:

A. Tibiarum posticarum calcari exteriore apice dilatato, oblique truncato.

I. Antennis medio incrassatis:

1. Articulis 5—7 in mare angulatim compositis: spec. 1—4.
2. Antennis totis in utroque sexu rectis: spec. 5.

II. Antennis medio haud incrassatis:

1. Articulo ultimo integro.

a. Tarsis in utroque sexu simplicibus.

* Areis in anterioribus abdominis segmentis nullis: spec. 6. 7.

** Areis in anterioribus abdominis segmentis subcircularibus, minutis: spec. 8—12.

*** Areis omnibus subsemicircularibus, sat magnis: spec. 13—18.

b. Tarsis omnibus in mare subtus luteo-spongiosis: spec. 19.

c. Tarsis anterioribus in mare

* Articulis 1 et 2 subtus luteo-spongiosis: spec. 20.

** Articulis 1—4 subdilatatis, subtus luteo-spongiosis: spec. 21, 22.

d. Tarsis anticis in mare subdilatatis, subtus luteo-spongiosis: spec. 23.

2. Antennarum articulo ultimo apice emarginato: spec. 24. (25?)

B. Tibiarum posticarum calcari utroque spiniformi: spec. 26.

Descriptiones specierum.

A. Tibiarum posticarum calcari exteriore apice dilatato, oblique truncato.

Unguiculi usque ad basin fissi. (Tab. VIII. Fig. 8. *b.*)

I. Antennis medio incrassatis.

Antennarum articuli 4, 5, 6, 7 in mare valde, in femina leviter incrassati, 8, 9, 10, 11 tenues. Tarsi omnes maris leviter dilatati subtus luteo-spongiosi.

1. Antennae masculae articulis 6 et 7 compressis, angulatim compositis, unde subtus in medio angulato-emarginatis.

Abdominis segmenta supra membranacea, areis suffulta subsemicircularibus, tertiam fere segmenti partem occupantibus.

1. *M. Proscarabaeus.*

Violaceo-niger, capite thoraceque profunde punctatis.

Mel. Proscarabaeus *Linn. Faun. Suec. p.* 227. *n.* 826.
Syst. nat. II. p. 697. *n.* 1. *ed. Gmel.* 2017.
Fabr. Syst. Ent. p. 259. *n.* 1.
Spec. Ins. p. 327. *n.* 1.
Mant. Ins. I. p. 215.
Ent. Syst. I. 2. *p.* 517. *n.* 1.
Syst. El. II. p. 587. *n.* 1.
Goeze Beitr. I. p. 693. *n.* 1.
Geoffr. Hist. des Ins. I. p. 377. *n.* 1. *tab. VII. f. IV.*

Scop. Ent. Carn. p. 59. *n.* 184.
Villars Ent. I. p. 397.
Oliv. Ent. III. n. 45. 5. *tab. I. f.* 1.
Marsh. Ent. Britt. I. p. 481. *n.* 1.
Gyll. Ins. Suec. II p. 482. *n.* 1.
Leach. Linn. Transact. XI. p. 46. *tab. VII. f.* 6. 7. *et p.* 250.
Brandt u. Ratzeburg Darst. d. off. Th. II. p. 113. *tab. XVI. f.* 4. 5.

Mel. Proscarabaeus var. *β. Payk. Fn. Su. III. p.* 362. *n.* 1.

Mel. tecta *Panz. Fn. Ins. Germ.* 10. 14. (*Mas*).
Krit. Revis. p. 140.
Ent. Germ. p. 351. *n.* 5.
Meyer. Tent. Mon. Mel. p. 12. *n.* 4.
Latr. Gen. Crust. et Ins. II. p. 218.

Mel. tectus *Leach. Linn. Transact. XI. p.* 48. *tab. VII. f.* 8, 9. *et p.* 250. *n.* 13.

Mel. punctata *Panz. Fn. Ins Germ.* 10. 15. (*Femina*).
Ent. Germ. p. 351. *f.* 4.

Mel. punctata (*Fabr.*) *Illig. Mag. IV. p.* 169.

Mel. Brunsvicensis *Meyer Tent. Mon. Mel. p.* 25. *n.* 7.

Mel. atrata *Meyer Tent. Mon. Mel. p.* 15. *n.* 2.

Mel. rugipennis *Mannerh. Hummel. Ess. Ent. p.* 21. *n.* 15.

Mel. Taurica
Mel. cyanella } *Dej. Cat. p.* 75.
Mel. Gallica

Mel. cyanea *Dej. Cat. p.* 75.?

Proscarabaeus vulgaris *Schrank. Enum. Ins. Aust. p.* 225. *n.* 424. (*cum* M. violaceo *confusus.*)

Cantharis Proscarabaeus var. nigra *De Geer. Ins.* 5. 3. 1. *tab. I. f.* 1.
Schaeff. Icon. tab. 3. *f.* 5. (*Meloë primus.*)
Frisch. Ins. VI. 6. *p.* 14. *tab. VI. f.* 5. 6.

Long. $3\frac{1}{2}$—$20'''$. Lat. $1\frac{1}{4}$—$6'''$.

Corpus nigrum, magis minusve violaceo-micans, imprimis in pedibus capite ac thorace. Caput glabrum sat profunde punctatum, punctis in fronte rarioribus, canalicula frontali tenui abbreviata, violaceo-nigrum sat nitidum. Clypeus basi punctis piliferis sat profundis, labium subtilioribus rarioribus impressum. Antennae sat distincte violaceae, nitidae. Thorax latitudine vix brevior, basi leviter emarginatus, angulis anticis vix conspicuis, cum lateribus rotundatis, basi iterum leviter emarginatus marginatusque, supra magis minusve depressus, punctis sat profundis, in medio parcioribus, ceterum saepius confluentibus impressus, niger plerumque violascens, nitidus, lobis inflexis subtiliter parce punctatis laete violaceis nitidissimis. Elytra magis minusve coriaceo-rugosa, atra, supra parum, marginibus inflexis distinctius violascentia. Abdomen supra atrum opacum, areis subopacis, subtiliter coriacea, punctis raris piliferis impressis; subtus subviolascens, crebre piloso-punctatum. Pedes validi, plerumque purpureo-violacei, sat nitidi.

Patria. Europa tota et Sibiria; tempore vernali frequens.

Obs. Haec species ab auctoribus saepe confusa, quare eius synonymia valde intricata est. *Meloë Proscarabaeus* Lin. certe idem, ut ex descriptione Faunae Suec. patet. Fabricius, Linnaei diagnosin retinens, hunc eundem significare nobis videtur; color etiam violaceus huic magis competit, quam M. violaceo Marsh. *Mel. tecta* et *Mel. punctata* Panz. certe huc pertinent, secundum typos, qui exstant in Mus. Reg. Berol. *Mel. tectus* Leach. etiam sine dubio huc referendus. *Mel. rugipennis* Mannerh, ex Sibiria, secundum specimen, quod Museo Regio Berol. communicavit cl. Gebler, exacte convenit, colore modo omnino nigro discrepans. *Mel. Taurica* Dej. sec. Par-

reyss (Mus. Reg. et Schüpp.) et *Mel. cyanella* Dej. l. c. a comite ipso cl. Schüppel sub hoc nomine transmissus, nullo modo differunt a M. Proscarabaeo, qualis apud nos invenitur.

Mel. Proscar. var. γ. Leach. l. c. p. 250 corpore toto coerulescente modo differt. Malta, Leach. Lusitania, Mus. Reg. Berol.

Magis discrepat varietas quaedam, a cl. Waltl in Hispania lecta, cuius specimina bina exstant in Museo Regio et in collectione cl. Schüppel, nomine „*M. cyanella* Ziegl. sec. Dej.“ missa, colore magis coeruleo, capite thoraceque paulo subtilius punctatis elytrisque subtilius rugosis; et minus accurate inspecta, speciei peculiaris speciem prae se fert. Specimina sedule examinata autem itidem inter se discrepant ut M. Prosc. genuinus, et nullis certis limitibus ab hoc seiungenda sunt.

Meloë, cuius utrumque sexum nomine „*M. cyanea* Dej. e Gallia“ a cl. Ziegler missum lustravimus in collectione cl. Schüppel, huc etiam referendum censemus; specimina vero sunt minutissima, capite thoraceque parce punctatis, laete violaceis, nitidis.

Commemorandum etiam est specimen, quod exstat in Museo Regio, nigrum, pedibus subviolascentibus, capite thoraceque subtilissime punctatis, elytris sublaevibus; certe tamen ad hanc speciem pertinet, et tantummodo naturae lusu ortum nobis videtur.

2. *M. violaceus.*

Atro-coeruleus, nitidus, capite thoraceque mediocriter punctatis.

Mel. violaceus *Marsh. Ent. Britt. I. p.* 482. *n.* 2.
Leach. Linn. Transact. XI. p. 45. *tab. VII. f.* 3 4. 5.

*Gyll. Ins. Suec. II. p.*482. *n.*2.
*Illig. Mag. IV. p.*168.
*Brandt u. Ratzeburg Darst. d. offic. Th. II. p.*112. *tab. XIV. f.*7.
Mel. Proscarabaeus *Panz. Fn. Ins. Germ.* 10. 12.
*Ent. Germ. p.*350. *n.*1.
*Meyer. Tent. Mon. Mel. p.*11. *n.*1.
*Rossi Fn. Etrusc. I. p.*327. *n.*590.
*ed. Helw. I. p.*289. *n.*590.
*Sulz. Kennz. d. Ins. p.*18. *n.*26. *tab. VII. f.*54.
*Latr. Gen. Crust. et Ins. II. p.*217.
*Payk. Fn. Suec. III. p.*361. *n.*1. *var. α.*
Mel. similis *Marsh. Ent. Britt. I. p.* 482. *n.*3.
Mel. aprillina *Meyer. Tent. Mon. Mel. p.*21. *n.*5.?
Cantharis Proscarabaeus var. violacea *De Geer Ins. I.* 5. 3. 1.

Long. 5—18‴. Lat. $2\frac{1}{3}$—5‴.

Corpus atro-coeruleum, sat nitidum. Caput mediocriter parce punctatum, punctis in fronte rarioribus, canalicula frontali tenui, fronte vix convexa; clypeo punctis parcis piligeris sat profunde impresso, labro subtiliter piloso-punctato. Antennae structura ut in praecedente, at minus crassae. Thorax latitudine paulo longior, apice vix, basi sat distincte emarginatus, lateribus parum rotundatis; supra nunc depressus nunc convexiusculus, parcius mediocriter punctatus, basi sat distincte transversim impressus, quo margo elevatus videtur, lobis inflexis laevibus aut punctis singulis obsoletis impressis, valde nitidis. Scutum apicis medio elevatum. Elytra subtiliter coriaceo-rugosa. Abdomen supra atrum, opacum, areis atro-coeruleis nitidis, subtiliter rugulosis parce et obsolete piloso-punctatis, subtus coeruleo-atrum, nitidulum, sat crebre piloso-punctatum. Pedes validi, nigro-cyanei, tenuiter piloselli.

Patria. Europa et Sibiria; sat frequens, sed non iisdem cum praecedente locis.

Variat haec species interdum corpore nigro, subtus coerulescente.

Obs. *Mel. similis* Marsh. l. c., quem Illiger (Mag. IV. p. 169) cum Mel. brevicolli coniungit, teste cl. Leach huic speciei adscribendus. *Mel. aprillina* Meyer forte ad M. Proscarabaeum pertinet, magis tamen cum hac specie convenit.

3. *M. Americanus.*

Atro-coeruleus, subopacus, capite thoraceque mediocriter punctatis.

Mel. Americanus *Leach. Linn. Transact. p.* 250. *n.* 14. *tab. XVIII. f.* 5.6.

Long. 6—9‴. Lat. 3—4‴.

Corpus coeruleum, subopacum. Caput latiusculum, fronte valde depressa, mediocriter minus crebre punctatum, atro-violaceum, subopacum; clypeo profunde et parce, labro subtilius piloso-punctato. Antennae tenuiores, coeruleae. Thorax latitudine parum brevior, structura omnino ut in praecedente, supra parum convexus, prope basin impressus, medio obsolete canaliculatus, undique mediocriter punctatus subopacus, atro-coeruleus. Elytra ut in praecedente, parum nitida. Abdomen itidem ut in illo, supra areis apicem versus fortius rugulosis. Pedes coerulei, tenuiter piloselli.

Patria. America borealis: Georgia, Leach. New-York, Mus. cl. Prof. Reich.

Obs. Haec species antecedenti adeo affinis, ut compluribus speciminibus comparatis, nulla inter eas fortasse constarent di-

scrimina. Forte M. violaceus var. ε. Leach. l. c. p. 250 etiam M. Americano adscribendus est.

Specimen unum, quod lustravimus, differt a M. violaceo colore minus nitido, fronte magis depressa, thorace paulo breviore, antennis paulo tenuioribus et evidenter brevioribus.

4. *M. Aegyptius.*

Niger, lateribus subcyanescens, capite thoraceque subtiliter punctatis.

Long. 15'''. Lat. 6'''.

Corpus atrum, subopacum. Caput atrum, cyaneo micans, praesertim lateribus, punctis subtilibus parcis, in media fronte rarioribus impressum; canalicula frontali abbreviata, tenui. Antennae paulo breviores, quam in M. violaceo, ceterum omnino ut in illo. Thorax latitudine antica vix longior, lateribus ante medium rotundato-ampliatis, basi apiceque evidenter emarginatus, supra depressus, prope basin vix impressionis vestigio, disperse subtiliter punctatus, medio laevis, lobis inflexis supra punctatis, infra laevibus, ater lobis inflexis cyanescentibus. Elytra subtilissime coriaceo-rugosa, atra, subopaca, margine inflexo subcyanescente. Abdomen omnino ut in M. violaceo, at nigrum, opacum. Pedes validi, atro-cyanei.

Patria. Aegyptus. Prope Alexandriam cepit clariss. Prof. Ehrenberg. Mus. Reg. Berol.

Obs. M. violaceo et hic valde affinis, sed vere distinctus videtur, capite thoraceque multo subtilius punctatis, hoc breviore, medio laevi, prope basin non impresso, scuto apicis medio non elevato, elytris minus distincte rugosis cet.

2. Antennae totae in utroque sexu rectae.

Abdominis areae magnae transversae, totum fere dorsum tegentes.

5. *M. autumnalis.*

Tab. VIII. Fig. 1. (Mas.)

Mel. autumnalis *Oliv. Ent. III.* 45. *n.* 4. *tab. I. f.* 2. (*male*).
Mel. glabratus *Leach. Linn. Transact. XI. p.* 43. *tab. VII. f.* 1. 2.
Mel. punctatus *Marsh. Ent. Britt. p.* 483. 6.
Mel. cyanea *Fabr. Syst. El. II. p.* 589. *n.* 8.?

Long. 4—6'''. Lat. $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$'''.

Corpus plerumque cyaneum, capite et thorace nitidissimis. Caput obscure cyaneum, nitidissimum, politum, punctis raris piligeris impressum, clypeo labroque fortius punctatis. Thorax subquadratus, angulis obtusiusculis, lateribus subrectis, apice truncatus, basi evidenter emarginatus, supra planiusculus, magis minusve distincte canaliculatus, basi transversim impressus, parce piloso-punctatus, ceterum laevis, valde nitidus, nigro-cyaneus. Elytra omnium subtilissime coriacea, punctis maioribus raris obsolete impressa, et inter haec subtilissime punctulata, cyaneo-nigra, subopaca. Abdomen supra atrum, areis atro-cyaneis, subnitidis, subtiliter coriaceo-strigosis; subtus nigro-cyaneum, subnitidum, parce piloso-punctatum. Pedes minus validi, atro-cyanei.

Patria. Europa: Anglia, Leach. Gallia, Mus. Reg. Berol. et Schüppel. Austriae Alpes, Mus. Schüppel. Germania borealis, Erichson.

Mas, auctoribus invisus, multo rarior, quam femina occurrere videtur; specimen depictum exstat in collectione cl. Schüppel.

Variat colore capitis thoracisque aeneo, elytrorum abdominisque aenescente: Leach. l. c. var. γ. δ. Varietatem corpore toto nigro in collectione cl. Schüppel vidimus.

Obs. *M. cyanea* Fabr. l. c. paene absque dubio hanc speciem significat; nam cui alii caput et thorax laevissima tribui possunt? Cetera synonyma indubia.

II. Antennis medio haud incrassatis.

1. Articulo ultimo integro.

a. Tarsis in utroque sexu simplicibus.

* *Areis in anterioribus abdominis segmentis nullis.*

6. *M. Tuccius.*

Abdominis segmento antepenultimo area nulla: foveolato-punctatus.

Mel. Tuccius *Brandt u. Ratzeburg Darst. d. offic. Th. II. p.* 109. *tab. XVI. f.* 3.
Mel. Tuccia *Rossi. Fn. Etrusc. I. p.* 238. *n.* 591.
ed. Hellw. I. p. 290. *n.* 591.
Meyer. Tent. Mon. Mel. p. 30. *n.* 10.
Mel. punctata *Fabr. Syst. El. II. p.* 588. *n.* 6.
Ent. syst. I. 2. p. 518. *n.* 4.
Mel. punctatus *Leach. Linn. Transact. XI. p.* 44. *et p.* 245. *n.* 3. *tab. XVIII. f.* 1.

Long. 10—14‴. Lat. $5\frac{1}{2}$—6‴.

Corpus totum atrum. Caput punctis erosis sat magnis, saepe confluentibus inaequale, fronte planiuscula, clypeo basi grossiuscule, medio mediocriter punctato, apice laevi, labro subtiliter punctato, uti clypeo longius piloso. Antennae capite

parum longiores, submoniliformes. Collum rugoso-punctatum, cinereo-pilosum. Thorax latus, transversus, apice truncatus lateribus subrectis, basi minus profunde emarginatus, supra depressus, canaliculatus, punctis profundis erosis uti caput, in disco rarioribus versus margines saepe confluentibus inaequalis. Elytra plerumque punctis magis minusve profundis raro confluentibus erosa. Abdomen supra segmentis 1—5 laevibus glabriusculis, sexto area magna parce piloso-punctata tecto, subtus nitidum parce sed profunde piloso-punctatum. Pedes validi, dense piloso-punctati.

Patria. Europa meridionalis, (Gallia merid., Lusitania, Italia, Tauria) et Sibiria.

Variat. 1. Punctis elytrorum subtilibus evanescentibus, punctis capitis thoracisque rarioribus. (*Mel. corrosa* Dej.)

2. Punctis elytrorum obsoletis. (*Mel. scabricollis* Dahl.)

3. Elytris coriaceo-rugosis, ut in M. Proscarabaeo, at paulo fortius. Tale specimen a clariss. Pallas lectum, exstat in collectione cl. Schüppel.

Obs. Specimen Fabricio visum descripsit clariss. Leach. Exempla, a Rossio ipso communicata, exstant in Mus. Reg. Berol., quare synonymia indubia.

7. *M. luctuosus.*

Abdominis segmento antepenultimo area semicirculari instructo: sublaevis. Fig. 2.

Long. 8'''. Lat. 4'''.

Corpus totum atrum subopacum sublaeve. Caput punctis piligeris subtilibus impressum, in vertice et lateribus rarissimis, os versus paulo crebrioribus, ceterum laeve, clypeo et labro for-

tius et crebrius punctatis, longius pilosis, hoc fulvo-ciliato. Antennae breves, capite fere dimidio longiores, crassiusculae, filiformes, nigrae, opacae. Thorax brevissimus, latitudine summa triplo fere brevior, basi emarginatus, lateribus subrotundatis apicem versus dilatatis, apice utrinque oblique truncatus, angulis anticis subrectis posticis obtusis rotundatis; supra antice planus, ante basin pulvinato-declivis, prope angulos anticos leviter impressus, quo thoracis orae subcarinatae videntur; punctis rarissimis piligeris subtiliter impressus, ceterum laevis. Elytra punctis rarissimis subtilissimis piligeris et inter haec rugulis subtilissimis, modo oculo bene armato conspicuis, impressa, atra subopaca. Abdomen supra atrum subnitidum, punctis parcis piligeris subtiliter impressum, areis segmentorum apicalium subtiliter rugulosis; subtus confertim fortius piloso-punctatum. Pedes minus validi, nigri, unguiculis solis rufo-piceis.

Patria. Sicilia. Unicum, quod nobis innotuit, specimen exstat in collectione ditissima cl. Schüppel, qui summa liberalitate nobis describendum et depingendum illud permisit.

** *Areis in anterioribus abdominis segmentis subsemicircularibus minutis.*

8. *M. brevicollis.*

Antennis breviusculis; nigro cyaneus, nitidulus, capite thoraceque parce profunde punctatis.

Mel. brevicollis *Panz. Fn. Ins. Germ.* 10. 15.
Ent. Germ. p. 351. *n.* 6.
Hoppé. Enum. Ins. Erlang. p. 69.
Meyer. Tent. Mon. Mel. p. 23. *n.* 6.
Payk. Fn. Suec. III. p. 362. *n.* 2.
Gyll. Ins. Suec. II. p. 485. *n.* 4.

Leach. Linn. Transact. XI. p. 41. tab. VI. f. 9. et p. 249. n. 9.

Mel. semipuncta *Dej. Cat. p. 76.*

Long. 4—11'''. Lat. 2—5½'''.

Corpus nigro-cyaneum, nitidulum. Caput glabrum, punctatum, punctis simplicibus sat profundis raris, in vertice et lateribus paulo crebrioribus; canalicula frontali vix ulla. Collum punctis crebris piligeris impressum. Antennae breviusculae, apice sensim subincrassatae, nigro-violaceae. Thorax brevis, longitudine duplo latior, antice subemarginatus; angulis rotundatis, lateribus subrotundatis, basi sat profunde emarginatus, angulis rotundatis prominentibus; supra ante basin triangulariter impressus, planatus, medio tenuissime canaliculatus, sat profunde, at minus crebre simpliciter punctatus, nitidulus, cyaneus vel nigro-cyaneus, glaber, margine tantum antico subciliato. Elytra laetius vel obscurius cyanea, vel nigro-cyanea, vel nigro-violacea, subnitida, subtiliter coriacea. Abdomen supra nigrum opacum, punctis piligeris rarissimis sat subtilibus impressum, quo evenit, ut primo intuitu laeve et glabrum videatur; areis rugulosis nigro-cyaneis; subtus nigro-cyaneum subnitidum, punctis piligeris rarioribus impressum. Pedes minus validi, cyaneo-nigri.

Patria. Europa (Anglia, Leach. Suecia, Payk. Gyll. Germania. Lusitania, Mus. Reg. Ber.) Tauria, Mus. Schüpp.

Variat. elytris solito multo subtilius coriaceis; specimen tale, a clariss. Pallas lectum, cl. Schüppel asservat.

9. *M. laevipennis.*

Antennis breviusculis; laete cyaneus, opacus, capite thoraceque parce punctatis. Fig. 3.

Mel. laevipennis *Eschscholtz.*

Long. 8‴. Lat. $3\frac{1}{2}$‴.

Corpus laete cyaneum, subopacum. Caput parcius simpliciter punctatum, punctis sat evidentibus, sed non profundis; fronte subconvexa, canalicula frontali parum distincta; clypeo labroque nigro-hirsutis, hoc fulvo-ciliato. Antennae capite vix dimidio longiores, filiformes. Collum creberrime punctatum, breviter pilosum. Thorax fere obcordato-quadratus, transversus, longitudine fere dimidio latior, apice leviter emarginatus, lateribus rotundatis, angulis anticis vix prominentibus, basi emarginatus angulis prominentibus, ante basin sat profunde impressus, medio canaliculatus, ceterum planiusculus, parce et minus profunde impressus. Elytra subtiliter rugulosa, laetius cyanea. Abdomen supra nigrum opacum, sublaeve, areis cyaneis subnitidis, subtiliter rugulosis; subtus cyaneum, subnitidum, parce piloso-punctatum. Pedes graciliores, nigro-cyanei.

Patria. Kamtschatka. Mus. Reg. Berol.

Obs. Praecedenti affinis, differt autem thorace minus brevi, subtilius punctulato, elytris subtilius rugulosis, ut et colore opaco, laete cyaneo.

10. *M. scabriusculus.*

Antennis breviusculis; niger, subopacus, capite thoraceque piloso-punctatis.

Mel. scabriusculus *Boeber.*
Mel. brevicollis } *Dej. Cat. p.* 76.
Mel. laticollis }
Mel. brevicollis *Fabr. Syst. El. p.* 588. *n.* 7.?

Long. 4—10‴. Lat. 2—5‴.

Corpus nigrum, opacum. Caput punctatum, punctis subtilioribus et crebrioribus, piligeris; canalicula frontali nulla; ver-

tice et fronte plerumque leviter impressis. Antennae plerumque longiores, quam in M. brevicolli, apice haud incrassatae. Thorax brevis, longitudine duplo fere latior, basi profundius, apice levius emarginatus, lateribus subrectis, angulis omnibus rotundatis, posticis prominentibus, supra intra hos impressus, ceterum planiusculus medio evidenter canaliculatus, subtilius et crebrius piloso-punctatus. Elytra subopaca nigra, subtiliter rugosa, plerumque breviores quam in M. brevicolli. Abdomen supra opacum, punctis minutis, pilos longiores nigros gerentibus, parcis impressum, areis subopacis, rugulosis; subtus subopacum, crebrius piloso-punctatum. Pedes minus validi, nigri subnitidi.

Patria. Germania (Berolini, cl. Ruthe; Halae, Erichson; in Austria, Mus. Reg. Berol. et Schüppel.) Tauria, Mus. Schüppel.

Obs. M. brevicolli primo intuitu maxime affinis, notis tamen constantibus sat distinctus; differt enim: capite thoraceque crebrius et subtilius punctatis, punctis piligeris, quae in illo simplicia sunt, abdominis punctis crebrioribus, pilos longos gerentibus, quae in illo rarissima, pilis brevibus crassis instructa sunt; ut et colore, in Mel. brevicolli semper magis minusve cyaneo, nitidulo, in hac specie, quotquot vidimus, nigro, subopaco. Praeterea thorax in hoc basin, in illo apicem versus angustatus videtur.

Mel. brevicollis Fabricii ob verba: „nigra tota, obscura" ad hanc speciem redigenda nobis videtur.

11. *M. rugosus.*

Antennis tenuibus longioribus; ater, subglaber.

Mel. rugosus *Marsh. Ent. Britt. I. p.* 483. *n.* 4.

Mel. autumnalis *Leach. Linn. Transact. XI. p.40. tab. VI. f.7.8.*
Mel. rugulosa *Dej. Cat. p.76.*
Mel. pullus *Hoffmannsegg.*
Mel. globosus *Knoch.*
Mel. nervosa *Dahl.*

Long. 4—10'''. Lat. 2—4¾'''.

Corpus atrum opacum. Caput piloso-punctatum, atrum, parum nitidum; fronte convexiuscula, sat profunde canaliculata, canalicula interdum per verticem continuata. Antennae capite duplo fere longiores, filiformes, tenues, basi crassiores. Thorax brevis, transversus, antica latitudine plus duplo longior, apice utrinque oblique truncatus, angulis subrectis, lateribus subrectis, basin versus angustatus, basi sat profunde emarginatus, angulis prominentibus; supra inaequalis, medio sat profunde canaliculatus et utrinque foveolis haud constantibus impressus, piloso-punctatus, ater, parum nitidus. Elytra rugoso-coriacea. Abdomen globosum, supra opacum, parcius pilosum, subtiliter rugosum, areis subnitidis rugulosis; subtus nitidulum, longitudinaliter strigosum, pilis raris obsitum. Pedes graciles.

Patria. Europa: Anglia, Germania, Italia, Lusitania.

12. *M. murinus.*

Antennis tenuibus longioribus; ater, pube densa luteo-grisea obtectus. Fig. 4.

Mel. cinerea *Dahl.*

Long. 3—7'''. Lat. 1½—3½'''.

Corpus atrum, opacum, totum indumento luteo-griseo dense obtectum. Caput subtiliter parce piloso-punctatum, fronte convexiuscula, canaliculata, medio impressa; clypeo labroque lon-

gius pilosellis. Antennae structura ut in praecedente, pube simili, uti corpus, obductae. Thorax transversus, latitudine antica duplo brevior, apice utrinque oblique truncatus, angulis prominentibus acutiusculis, lateribus subrectis, basin versus angustatus, basi emarginatus, angulis rotundatis parum prominentibus; supra planatus, sat profunde canaliculatus, hic illic leviter impressus, valde subtiliter piloso-punctatus. Elytra rugulis sat latis impressis, interstitiisque elevatis inaequalia. Abdomen et pedes ut in praecedente, sed pube luteo-grisea dense obtecta.

Patria. Sicilia, Mus. Reg. Berol. Schüppel. Reich.

Obs. Praecedenti simillimus, at pube corporis punctisque capitis et thoracis subtilioribus etc. bene distinctus.

*** *Areis omnibus subsemicircularibus, sat magnis.*

13. *M. variegatus.*

Viridi-purpureoque varius, thorace transverso.

Mel. variegatus *Donav. Britt. Ins. tab.* 67.
Mart. Eng. Ent. tab. 39. *f.* 1.
Leach. Linn. Transact. XI. p. 37. *tab. VI. f.* 1. 2. *et p.* 244. *n.* 2.
Brandt u. Ratzeburg Darst. d. offic. Th. II. p. 107. *n.* 2. *tab. XVI. f.* 6.

Mel. scabrosus *Marsh. Ent. Britt. I. p.* 483. *n.* 5.
Illig. Mag. IV. p. 168.

Mel. majalis *Fabr. Syst. Ent. p.* 259. *n.* 2.
Spec. Ins. I. p. 327. *n.* 2.
Mant. Ins. I. p. 215. *n.* 2.
Ent. syst. I. 2. *p.* 518. *n.* 2.
Syst. El. II. p. 588. *n.* 3.
Goeze Beitr. I. p. 694. *n.* 2.

Panz. Fn. Ins. Germ. 10. 13.
Ent. Germ. p. 350. *n.* 2.
Hoppe Enum. Ins. Erlang. p. 68.
Meyer Tent. Mon. Mel. p. 17. *n.* 3.
Fallèn Observ. Ent. I. p. 15.
Latr. Gen. Crust. et Ins. II. p. 218.
Mel. mayalis *Oliv. Ent. III.* 45. *n.* 6. *tab. I. f.* 4. *tab. II. f.* 4. *c.*
Mel. Proscarabaeus var. I. *Walk. Fn. Par. I. p.* 267.
Proscarabaeus maialis *Schrank. Enum. Ins. Austr. p.* 225. *n.* 423.
Schaeffer. Icon. tab. III. f. 6. (*Meloë secundus.*) *Abbild. u. Beschr. des Maienwurmkäfers. p.* 6.
Frisch. Ins. VI. 6. *p.* 14. *tab. VI. f.* 4.

Long. 5—15'''. Lat. 2—7'''.

Corpus cupreo-nitidum, purpureo variegatum. Caput fortiter punctatum, punctis saepe confluentibus scabrum, purpureum, viridi micans. Os nigrum: labrum subtilius punctatum. Antennae capite dimidio fere longiores, purpureae, nitidae; articulis apicalibus nigris opacis. Thorax transversus, longitudine dimidio fere latior, apice leviter emarginatus, lateribus apice valde angulato-ampliatis, ab angulo usque ad basin rectis, basin versus angustatus, basi sat profunde emarginatus, supra planatus, punctis profundis impressis, saepe confluentibus scaber, basi canalicula in medio evanescente, et lateribus foveis duabus longitudinalibus obsoletis impressus; viridis, marginibus et lobis deflexis purpureis, sat nitidus. Elytra rugosa, punctis inaequalibus, saepe confluentibus elevatis, interstitiis inaequalibus, hic inde strigosis, cupreo-viridia, nitidula. Abdomen supra cupreo-atrum, areis purpureis, antice late, postice anguste viridibus, crebre rugulosis, nitidulis; subtus plerumque segmentis basi vi-

ridi-cupreis, apice violaceis, rarius totis viridibus, nitidum, fortiter piloso-punctatum. Pedes validi, cyanei aut violacei, tibiis tarsisque interdum purpureis.

Patria. Europa tota et Sibiria.

Variat interdum colore magis minusve nigrescente; in collectione cl. Schüppel exstant specimina duo nigra, vix virescentia.

14. *M. cicatricosus.*

Niger, elytris coerulescentibus, thorace transverso, angulis anticis acutiusculis.

Mel. cicatricosus *Leach. Linn. Transact. XI. p.* 39. *tab. VI. f.* 5. 6. *et p.* 244.

Mel. reticulatus *Ziegler.*

Long. 6—16‴. Lat. $3\frac{1}{2}$—$6\frac{1}{2}$‴.

Corpus parum nitidum, statura praecedentis. Caput nigrum, subopacum, fortiter punctatum, punctis saepe confluentibus, linea longitudinali frontali vix ulla, labro subtilius punctato. Antennae capite vix dimidio longiores, nigrae subcoerulescentes. Thorax transversus, longitudine dimidio latior, antice vix emarginatus, angulis anticis acutiusculis, basi sat profunde emarginatus, supra planatus, aequalis, tenuiter canaliculatus, sat profunde punctatus, niger subopacus, lobis deflexis minus fortiter punctatis. Elytra rugosa, punctis elevatis nitidis, basi radiatim strigosis; coerulescenti-nigra. Abdomen nigrum, supra areis rugulosis, piloso-punctatis, subnitidis; subtus nitidum, piloso-punctatum. Pedes validi, subcyanescenti-nigri.

Patria. Germania, Gallia, Anglia, Hispania.

15. *M. coriarius.*

Ater, abdominis segmentis subtus disco rufo-ferrugineis, thorace transverso, angulis anticis obtusis.

Mel. coriarius *Hoffmannsegg.*
Mel. reticulatus *Brandt u. Ratzeburg Darst. d. offic. Th. II. p.* 108. *n.* 3. *tab. XVI. f.* 1. 2.

Long. 6—11'''. Lat. $2\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$'''.

Corpus nigrum, nitidulum. Caput nigrum, subnitidum, fortiter rugoso punctatum, canalicula frontali magis minusve distincta, labro subtilius punctato. Antennae capite vix dimidio longiores, nigrae, articulis basalibus violascentibus, reliquis purpurascentibus. Thorax transversus, longitudine dimidio latior, antice subtruncatus, angulis anticis obtusis, lateribus fere rectis, basi sat distincte emarginatus, margine elevato; supra planatus, profunde punctato-rugosus, fortiter canaliculatus et praeterea fovea longitudinali minus profunda utrinque impressus, lobis deflexis punctis confluentibus rugosis, niger subnitidus. Elytra rugosa, punctis subrotundatis elevatis nitidioribus, basi radiatim strigosis, interstitiis opacis; nigra. Abdomen supra areis nitidulis, crebre rugulosis, absque punctis piligeris; subtus parce piloso-punctatum, nitidum, segmentis 2—5 plaga magna transversa media rufo-ferruginea. Pedes validi, nigri, interdum subviolascentes.

Patria. Germania, passim (prope Berolinum haud infrequens). Hungaria: Mus. Reg. Berol. Tauria: Mus. Schüppel.

Obs. In mortuis ventris maculae saepius obsoletae.

16. *M. erythrocnemus.*

Ater, femoribus rufis, thorace transverso.

Mel. erythrocnema *Pall. Icon. p.* 76. *E.* 1. *tab. E. f.* 1.
Meyer Tent. Mon. Mel. p. 31. *n.* 11.
Mel. corallipes *Dahl.*

Long. 8‴. Lat. $3\frac{3}{4}$‴.

Corpus atrum, subnitidum. Caput punctis magnis, profundis, saepe confluentibus inaequale, longitudinaliter obsolete canaliculatum; clypeo labroque profunde piloso-punctatis. Antennae capite parum longiores, structura ut in praedentibus. Thorax transversus, latitudine summa vix duplo brevior, apice truncatus, angulis obtusiusculis, lateribus subrectis, basin versus angustatus, basi profunde emarginatus, angulis parum prominentibus; supra canalicula sat lata et profunda, foveaque utrinque obsoletiore atque punctis magnis profundis, saepe confluentibus valde inaequalis. Elytra punctis magnis inaequalibus confertis variolosa. Abdomen supra areis subtiliter rugulosis, subopacis; subtus confertim piloso-punctatum, subnitidum. Pedes validi, nigri, femoribus, apice excepto, rufis.

Patria. Sibiria (Pallas: Mus. Schüppel.), Istria, Italia.

17. *M. angulatus.*

Ater, thorace quadrato. Fig. 5.

Mel. angulatus *Leach. Linn. Transact. XI. p.* 247. *n.* 4.
Mel. quadricollis *Hoffmannsegg.*

Long. 11—13‴. Lat. $4\frac{1}{2}$—$5\frac{1}{4}$‴.

Corpus atrum, parum nitidum. Caput punctis saepe confluentibus profunde impressum, longitudinaliter subcanalicula-

tum, fronte parum convexa. Labrum subtilius punctatum. Antennae capite parum longiores, filiformes. Thorax quadratus, basin versus sensim subangustatus, lateribus rectis, antice et postice vix emarginatus, angulis anticis acutiusculis prominentibus, posticis obtusiusculis, supra depressus, margine laterali et postico subelevato; profundius canaliculatus, punctis sat profundis confluentibus in disco et lobis deflexis obtectus. Elytra lineolis impressis undulatis et interstitiis convexiusculis subrugosa, subopaca. Abdomen supra areis rugulosis, parce piloso-punctatis subopacis; subtus crebrius piloso-punctatum, subnitidum. Pedes minus validi.

Patria. Promontorium Bonae Spei. Mus. Reg. Berol.

18. *M. Klugii.*

Ater, elytris luteo-trimaculatis, abdominis lateribus sanguineis. Fig. 6.

Long. $7\frac{1}{2}'''$. Lat. $3'''$.

Caput quam in congeneribus angustius, praesertim ante collum minus tumidum, nigrum subopacum, parce impresso-punctatum, (i. e. punctis in medio impressionis minutae) canalicula frontali per verticem usque ad collum continuata, punctis in collo crebrioribus, os versus piligeris; clypeo labroque piloso-punctatis. Antennae vix capite duplo longiores, graciles, subsetaceae. Thorax latitudine summa parum brevior, basin versus angustatus, apice parum, basi evidenter emarginatus, lateribus subrotundatis, angulis nullo modo prominulis, basin versus paulo angustatus, supra fere usque ad apicem emarginatus, foveolis utrinque duabus, altera paulo ante, altera pone medium impressus, parce impresso-punctatus, lobis deflexis sublaevibus,

punctis modo raris notata, subopacus niger. Scutum porrectum, punctato-rugosum. Elytra brevia, longitudine summa thoracis longitudinem vix duplo superantes, margine interno subrecto, rugulis impressis inaequalia, subopaca nigra, maculis tribus luteis, subtuberculatis, laevibus: prima humerali, altera prope hanc, etiam in basi, tertia versus apicem sublunata. Abdomen supra sanguineum, laeve, areis magnis, nigris, opacis, omnium subtilissime coriaceis, rugulis minutis interiectis; subtus nigrum subopacum, subtiliter vage rugulosum, parce punctis piligeris, versus margines segmentorum crebrioribus impressum. Pedes graciliores, nigri, parce pilosi, tibiarum calcaribus et unguiculis rufis.

Patria. Brasilia (Montevideo): Mus. Reg. Berol.

Obs. Entomologi illustrissimi, optime de his plagulis meriti, nomine ornatam grato animo voluimus insignem hanc speciem et rarissimam.

b. Tarsis omnibus in mare subtus luteo-spongiosis.

Abdominis areae ut in proxime praecedentibus.

19. *M. limbatus.*

Mel. limbata *Fabr. Syst. Eleuth. II. p.* 588. *n.* 4.
Illig. Mag. IV. p. 168.
Germ. (Ahr.) Faun. Ins. Europ. X. 8.
Brandt u. Ratzeburg Darst. d. offic. Th. II. p. 109. *tab. XVI. f.* 10.

Mel. Hungarus *Schrank. En. Ins. Austr. p.* 226. *n.* 425.
Beitr. p. 71. *n.* 19.

Long. 11—21‴. Lat. $4\frac{1}{3}$—6‴.

Corpus atrum, opacum. Caput subtiliter, apice evidentius punctatum, canalicula frontali tenui; clypeo labroque sat pro-

funde piloso-punctatis. Antennae capite duplo longiores, crassiusculae, filiformes. Thorax subquadratus, latitudine vix brevior, antice truncatus, lateribus rectis, basi emarginatus, angulis obtusiusculis, supra depressus, planus, subtiliter canaliculatus et subtilissime punctulatus, margine antico dense flovo-piloso. Elytra subtilissime coriacea, undique, interne latius ferrugineo-marginata. Abdomen supra areis parce subtiliter piloso-punctatis, subtus crebrius subtiliter piloso-punctatum. Pedes validiores.

Patria. Hungaria, Tauria.

Obs. *M. Hungarum* Schrank l. c. absque dubio huc retulimus; thoracis basis flava quidem non quadrare videtur, attamen hoc modo significat auctor thoracem antice flavo-pilosum.

c. Tarsis anticis in mare:

* *articulis 1 et 2 subtus luteo-spongiosis.*

Areae abdominis semicirculares, multo minores quam in praecedentibus. Antennae apice incrassatae.

20. *M. laevis.*

Mel. laevis *Leach. Linn. Transact. XI. p. 249. n. 10. tab. XVIII. f. 4.*

Long. 13'''. Lat. $5\frac{2}{3}$'''.

Corpus totum aterrimum, glabrum parum nitidum. Caput omnium subtilissime coriaceum, parce obsolete punctatum, clypeo labroque sat distincte punctatis. Antennae capite fere duplo longiores, apice subincrassatae. Thorax latitudine summa vix longior, antice rotundato-truncatus, angulis rotundatis, basin versus angustatus, lateribus subrectis, postice emarginatus omnium subtilissime coriaceus, uti caput punctis subtilibus raris impressus, supra depressus, postice subtiliter obsolete canaliculatus, interdum medio subimpressus. Elytra subtilissime co-

riacea sublaevia. Abdomen supra subtiliter coriaceum areis subsemicircularibus, subtus praesertim ad apicem segmentorum longitudinaliter strigosum, glabrum, ani margine supra ciliato. Pedes validiores.

Patria. America media: Ins. St. Domingo: Leach. Mexico: Mus. Reg. Berol.

** *Tarsis anticis in mare articulis 1—4 subtus luteo-spongiosis.*

Elytra longiora, lateribus subcarinata. Areae abdominis transversae, magnae, abdomen supra paene tegentes. Antennae subsetaceae.

21. *M. Uralensis.*

Ater, opacus, laeviusculus.

Mel. Uralensis *Pall. Icon. E. 2. tab. E. f. 2.*
Iter II. App. p. 722. n. 56.
Leach. Linn. Transact. XI. p. 247. n. 5. tab. XVIII. f. 2.
Mel. punctatus *Meyer Tent. Mon. Mel. p. 28. n. 9.*
Mel. glabratus *Meg.*

Long. 3—8‴. Lat. $1\frac{3}{4}$—$4\frac{1}{2}$‴.

Corpus atrum, opacum. Caput antice planiusculum, omnium subtilissime coriaceum, punctis sparsis obsolete impressum; clypeo labroque fortius punctatis. Antennae capite plus duplo longiores, articulis 2 et 3 obconicis, sequentibus cylindricis, ultimo elongato, acuminato. Thorax transversus, longitudine duplo fere latior, apice leviter emarginatus, lateribus subrectus, basi sat profunde emarginatus, angulis omnibus rotundatis, posticis prominulis; supra planatus, basi apiceque utrinque obsolete impressus, uti caput omnium subtilissime coriaceus punctis sparsis minutis impressus, apice flavo-pilosus.

Elytra humeris prominulis rotundatis, lateribus profunde canaliculata, unde costa lateralis sat elevata exoritur, subtiliter coriacea, supra nigra, marginibus inflexis violascentibus, subnitidis. Abdomen supra subtilius coriaceum, subopacum, subtus punctato-rugosum, subnitidum. Pedes minus validi.

Patria. Hungaria, Sibiria, „Primo vere.“ Pall.

Obs. Specimina Hungarica magnitudine plerumque Sibirica superant. Exempla, a clariss. Pallas lecta, exstant in collectione cl. Schüppel.

„Odore subviolaceo, sed debilissimo donata.“ Pall. l. c.

22. *M. decorus.*

Nigro-violaceus, nitidulus, capite thoraceque profunde punctatis, elytris rugulosis. Fig. 7.

Mel. decorus *Creutzer.*

Long. $4\frac{1}{2}$—$9'''$. Lat. 2—$4\frac{1}{2}'''$.

Praecedenti habitu, et plerumque magnitudine similis. Caput longitudinaliter subtiliter canaliculatum, inter oculos utrinque obsolete impressum, subrugulosum, sat profunde punctatum, violaceum, nitidum. Antennae structura ut in praecedenti, subviolascentes. Thorax brevis transversus, longitudine duplo latior, antice truncatus, lateribus subrectis, basi emarginatus, angulis posticis rotundatis prominulis, dorso planatus, in medio et versus latera sat distincte longitudinaliter foveolatus, basi transversim impressus; rugulosus, sat profunde punctatus, cyaneus nitidus. Elytra longiora, humeris prominulis rotundatis, lateribus subcarinata, coriacea, subopaca, violascenti-atra. Abdomen areis rugulis impressis subtiliter coriaceis, atris, sub-

nitidis; subtus piloso-punctatum, violaceum sat nitidum. Pedes violascentes, minus validi.

Patria. Hungaria. Mus. Reg. Berol. et Schüpp.

d. Tarsis anticis in mare subdilatatis subtus luteo-spongiosis.

Abdomen supra subcorneum, areis semicircularibus, parum distinctis.

23. *M. corallifer.*

Mel. corallifer *Hoffmannsegg.*
Brandt u. Ratzeburg Darst. d. offic. Th. II. p. 110. *tab. XVI. f.* 9.
Mel. corallifera *Germ. Mag. III. p.* 259. *n.* 22.
Germ. (Ahr.) Faun. Ins. Eur. X. 7.

Long. 6—11‴. Lat. $2\frac{2}{3}$—$4\frac{1}{2}$‴.

Caput atrum, subopacum, profunde et confertim inaequaliter punctatum, fronte convexa, sat profunde ad verticem usque canaliculata; clypeo labroque piloso-punctatis, hoc plerumque leviter emarginato, interdum truncato. Antennae capite duplo paene longiores, filiformes, graciles, articulis primis duobus nigro-pilosis, reliquis glabriusculis. Thorax transversus, basi leviter emarginatus marginatusque, apice truncatus, lateribus in tubercula duo valde prominentia productus, supra canaliculatus, punctis profundis confluentibus rugosus, ater, subopacus, tuberculis laeviusculis coccineis. Elytra atra, subopaca, coriacea, longitudinaliter rugulosa. Abdomen supra subcorneum opacum, glabrum, laeve, areis subrugosis subopacis; subtus subnitidum, parce piloso-punctatum. Pedes graciliores.

Patria. Lusitania.

2. Antennarum articulo ultimo apice emarginato.

Antennae subserratae. Abdomen undique corneum. Tarsi in utroque sexu simplices.

24. *M. Majalis.*

Thorace quadrato, postice rectangulo. Fig. 8. (Mas.) *b.* Unguiculus.

Mel. maialis *Linn. Syst. nat. II. p.* 697. *ed. Gmel.* 2017.
Leach. Linn. Transact. XI. p. 38. *tab. VI. f.* 3. 4.
Illig. Mag. p. 168.
Brandt u. Ratzeburg Darst. d. offic. Th. II. p. 106. *tab. XVI. f.* 1.
Mel. laevigata *Oliv. Ent. III.* 45. *p.* 6. *n.* 3. *tab. II. f.* 5.
Fabr. Syst. El. II. p. 587. *n.* 2.

Long. 6—22'''. Lat. $2\frac{1}{2}$—5'''.

Caput atrum, subnitidum, parcius punctatum, fronte convexiuscula, verticeque longitudinaliter canaliculatis; clypeo labroque fortius piloso-punctatis, hoc leviter emarginato. Antennae capite vix dimidio longiores, compressiusculae, intus in femina levius, in mare evidentius subserratae. Thorax quadratus, apice utrinque oblique truncatus, angulis obtusis, lateribus subrectis, supra parum convexus parcius punctatus, medio canaliculatus, ater subnitidus, lobis deflexis nitidioribus, parce punctatis. Elytra atra, subnitida, rugulis confertis longitudinalibus undulatis, punctisque parce impressis subtiliter coriacea. Abdomen nigrum, subnitidum, glabrum, supra segmentis corneis, subtiliter parce punctatis, macula media apicis subtiliter rugulosa, margine apicali aurantiaco; subtus rugulis subtilibus pun-

ctisque parvis impressum. Pedes atri, feminae minus, maris sat validis.

Patria. Gallia meridionalis. Hispania. Lusitania. Africa borealis (Marocco Fabr.).

Mas differt capite latiore, saepe sat magno, antennis minus obsolete serratis. Abdomen saepe sub elytris retractum, quod nunquam observavimus in femina.

Variat interdum segmentis margine concoloribus; huc sine dubio pertinet *Mel. laevigata* Olivieri et Fabricii. Ille vero antennas depingit medio incrassatas, angulatas, quas autem sive fictas, sive a M. Proscarabaeo mutuatas, et specimini, quod usui fuit clarissimo auctori, prava industria adglutinatas censemus.

25. *M. insignis.*

Thorace elongato, acutangulo.

Mel. insignis *Charpentier. Germ. Mag. IV. p. 258. n. 21. tab. III. f. 1.*

Insectum rarissimum, nobis invisum, quare descriptione, l. c. data, utamur: Ater, capite maculis duabus posticis sanguineis. — Maxima M. maialis specimina magnitudine superans. Caput magnum thorace latius, macula magna sanguinea pone oculos. Oculi cinerei. Thorax elongato-quadratus, acutangulus, ater. Elytra laevia atra.

Patria. Hispania? Mus. cl. Charpentier.

Obs. Secundum figuram citatam M. maiali proximus videtur. Antennae probabiliter etiam articulo ultimo emarginato, quare hanc speciem hoc loco memorandam putamus.

Restat etiam species altera nobis invisa, a cl. Leach descripta, cui locus incertus est, quare hic descriptionem clariss. Leach inserimus:

26. *M. excavatus.*

Mel. excavatus: niger, lateribus pallidis, capite triangulato, laevi, punctato, thorace utrinque excavato, elytris excavato-punctatis. *Leach. Linn. Transact. p.* 248. *n.* 6. *tab. XVIII. f.* 3.

„Caput triangulatum, punctatum, antice compressum, lateribus postice productis. Antennae minime hirti. Thorax utrinque antice angulatim productus, foveaque utrinque excavatus, postice marginatus subemarginatus. Elytra nitida, nigra, punctis obscuris nigris excavatis. Abdomen pallidum, molle, dorso ventreque subscabrosis nigris, coriaceis. Pedes glabri nigri, ungues interni tenues, nigri, externi nigri, apice ferrugineo."

Patria ignota. Mus. cl. Francillon. Leach. l. c.

B. Tibiarum posticarum calcari utroque spiniformi.

Labrum apice truncatum, angulis rotundatis. Abdomen dorso subcorneum, areis segmentorum margines non tangentibus, subsemicircularibus. Pedes subglabri, tarsis simplicibus, unguiculis haud fissis, sed basi dente valido instructis. (Fig. 9. *b.*)

27. *M. cancellatus.*

Fig. 9. *b.* Unguiculus.

Long. $11\frac{1}{2}$—$16'''$. Lat. $4\frac{3}{4}$—$6'''$.

Caput planum, omnium subtilissime coriaceum, hic illic punctis maioribus minoribusve sat profunde impressum, glabrum, atrum, vertice obscure sanguineo. Clypeus parce puncta-

tus glaber, apice utrinque rufo. Labrum etiam glabrum, parce punctatum. Palpi parcius breviter nigro-pilosi. Antennae breves, capite parum longiores, graciles, filiformes, nigrae, articulis 1—5 punctatis, punctis pilos nigros breves gerentibus: reliquis pube cinerea tenerrima obductis. Thorax transversus, longitudine dimidio brevior, apice basique profunde emarginatus, lateribus rotundatis; supra planiusculus, obsolete canaliculatus, omnium subtilissime coriaceus, punctis singulis parce impressis; niger, opacus. Elytra nigra, parce foveolato-punctata, rugis elevatis reticulatim confluentibus sanguineis variegata, margine inflexo lato, minus profunde foveolato-punctato, atro, unicolore, nitido. Abdomen magnum, undique glabrum, nigrum, supra segmentis obsolete sanguineo-marginatis, omnium subtilissime coriaceum, rugulis transversis hic illic impressum: areis mediocribus, semicircularibus, postice leviter emarginatis, punctulatis, medio tuberculo obsoleto obsitis; subtus sat nitidum, segmentis ante apicem transversim elevatis. Pedes graciliores, parce piloso-punctati, pilis autem brevissimis, aegre conspicuis, quare glabra videntur; tibiarum calcaribus apice, unguiculisque rufis.

Patria. Mexico. Mus. Reg. Berol.

Obs. Animalculum hocce cum a tota familia Vesicantium Latr. (Cuv. regn. an. vol. 5. p. 60.), tum a reliquis Melois discedit characteribus; attamen tantummodo contra naturam ab hoc genere seiungendum videtur.


1.


2.


3.


4.


5.


6.


7.


8.

b.


9.

b.

S. Weber fec.